

**www.e-rara.ch**

## **Reformatio difformis & deformis, sive, Demonstratio**

**Joachim**

**Argentorati, 1726**

**Zentralbibliothek Zürich**

Shelf Mark: RRe 73

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-30685>

Caput XV. De absurdis ex deformi hac reformatione sequentibus vel secutis.

---

### **www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

nobia tot SS. Virginum, quæ quasi candidissima lilia in cœlesti Sponsi horto plantata ubique expirant suavissimum castitatis odorem.

Non est ergò Ecclesia Rømana, ut calumniantur, colluvies & sentina vitiorum sed, ut ostensum est hæctenus, tam sana, & sancta, ut digna sit, quæ omnibus aliis per orbem Ecclesiis tanquam exemplar & idea sanctitatis ad imitandum proponatur: sicut enim Ecclesia Romana est Magistra fidei & dogmatum, sic etiam est Magistra disciplinæ & morum; unde sicut ab ea processerunt Expositiones & Decreta fidei, sic ab ea emanarunt leges Canonice, & Ecclesiasticæ sanctiones. Ex toto hoc Capite ad oculum patet Ecclesiam tam in quæstionibus fidei, quàm in regulis morum multò meliùs esse elucidatam & reformatam per Patres S. Concilii Tridentini, & alios Apostolicos viros, quàm per prætenso Reformatores, per quos reformatam non est, nisi nominaliter tantùm, sed obscurata.

No. 42.

## CAPUT XV.

*De absurdis ex deformi hac Reformatione  
sequentibus vel secutis.*

**T**Oto hoc opere sparsim hinc inde plura producta sunt absurda, quæ ex prætenso hac Reformatione secuta sunt, vel sequuntur; placet modò eorum præcipua quasi in fascem collecta Lectori exhibere. Per absurdum autem intelligo id, quod vel naturali alicui principio repugnat, vel manifestæ alicui veritati adversatur: veritas enim est tam synccera & candida, ut aliquid rectæ rationi inconueniens vel contrarium admittere non possit; unde ex vero aliquod absurdum non potest sequi: verum enim vero contrarium esse non potest, aliàs destrueret se ipsum. Falsitas è contra, sicut est mater errorum, sic etiam absurdorum: cum enim sibi ipsa sit contraria, & rectæ ratio.

No. 1.

rationali adversa, ubique impingit, nec partum potest edere, nisi deformem, & rectæ rationi inconvenientem: unde ortum est axioma illud Philosophicum; *Ex uno absurdo sequitur aliud, vel Admissio unò absurdo, necesse est plura alia sequi.* Ex hoc manifestè infertur, eam doctrinam necessariò esse falsam, ex qua vel unicum sequitur absurdum, quantò magis falsa erit, si plura sequantur. Ex doctrina autem Acatolica sequi plura absurda sparsim ostensum est toto hoc opere, præsertim cap. 3. & 4. 1. partis; manifestè ergò sequitur, doctrinam Acatolicam, & ex ea dependentem Reformationem falsam affectatam & irritam esse. Ex his absurdis non omnia sed tantum aliqua non tam oculis spectanda, quàm manibus palpanda exhibeo.

No. 2.

Primum absurdum, quod ex Deformi hac Reformatione sequitur, est, quòd Christus hoc modo non fuisset sapiens Architectus; non enim fundasset domum suam, sive Ecclesiam supra petram fidei stabilem & immobilem, sed super arenam humanarum fictionum, & super opinativas verbi Dei expositiones: fundamentum enim hujus magnæ domûs est fides. Si ergò Ecclesia posset deficere in fide, vel ab ea aberrare, rueret fundamentum hujus domûs, & error imputaretur Architecto: nusquam enim turpius aut gravius errat Architectus, quàm si erret in fundamento: *Descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna,* Matth. 7. v. 27. Christus ergò, qui ædificando Ecclesiam condere voluit domum indestructilem & sempiternam, in ea ponere debuit fundamentum tam firmum ac solidum, ut superstructum ei ædificium labi, aut in alteram partem inclinari non posset. Fundavit autem illud supra eam petram, cui dixit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non prevalebunt adversus eam,* Matth. 16. v. 18. & rursus: *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua,* Luc. 22. v. 32. Injuriam ergò inferunt Christo, qui dicunt, Ecclesiam posse errare, & à fide deficere; hoc enim modo Christus non condidisset Ecclesiam firmam & indefectibilem, sed infirmam & erroribus obnoxiam, quod non est sapientis architecti, sed im-

imprudētis, vel imperiti. Si autem Ecclesia non potest deformari, aut à fide deficere, nullâ Reformatione indiget in fide: superflua enim & inutilis est reformatio, quam nulla præcessit deformatio, ut jam sæpius est dictum.

Alterum abiurdum, quod sequeretur, est: Christum non fuisse fidelem in verbis & promissis suis. Promisit enim æterna Veritas Christus Petro Math. 16. v. 18. *Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalent adversus eam*: contra promissionem Christi autem prævaluissent Ecclesiæ inferorum portæ, si à vera & Orthodoxa fide defecisset, si in regnum Antichristi, synagogam Sathanæ, meretricem Babylonicam degenerasset, & in tenebris horrendæ infidelitatis, & umbræ mortis ultrà mille annos sepulta jacuisset: quid enim est alicui prævalere, quàm cum prostrernere & vincere? Ex quo evidenter sequeretur, Christum, qui claris & expressis verbis pollicitus est, portas inferi adversus Ecclesiam non prævalituras, infidelem fuisse in suis promissis (prævaluissent enim adversus eam) quod dicere non solum est absurdum, sed etiam blasphemum

Tertium absurdum, quod sequitur, est hoc, nempe Ecclesiam Christi Sponsam, quam Apostolus Ephes. 5. v. 27. vocat gloriosam, sanctam, & immaculatam, non habentem maculam aut rugam, & quam ibidem conjugibus proponit tanquam speculum fidei conjugalis: hanc, inquam, Ecclesiam à Christo electam, & unicè dilectam sequeretur fuisse adulteratam, in meretricem Babylonicam transformatam, & propterea à Sponso Christo omnibus ornamentis nuptialibus spoliatam, & repudiatam fuisse. Cùm tamen idem Apostolus ad Galat. 4. v. 24. & seqq. clarè testatur: Synagogam tanquam Agar ancillam repudiandam, Ecclesiam verò tanquam Saram & Dominam in Domo cum Isaac promissionis filio, id est, cum Christo perpetua stabilitate mansuram. Sequeretur item, Christum non satis invigilasse Ecclesiæ Sponsæ suæ, & ex sua incuria factum esse maritum adulteræ, nec satis servasse id, quod ei promisit Osæ 2. v. 19: *Sponsabo te mihi in sempiternum* & v. 20. *Sponsabo te mihi in fide.* Quo-

modo autem sponsâisset eam in sempiternum, si ei dedisset libellum repudii, & in exilium ejectionem tanto tempore dereliquisset?

No. 5. Quartum absurdum est, quod hoc modo regnum Antichristi diutius stetit, quam regnum Christi. Ecclesia, ut Novatores ajunt, incorrupta permansit circiter usque ad initium sæculi sexti (nam circa hunc computum mirè variant) si autem computemus annos, qui excurrunt à sæculo VI. usque ad sæculum XVI. quo contra Ecclesiam Romanam insurrexit Lutherus, excrescent illi ferè ad mille annos: stetit ergò regnum Christi 500. tantum, Antichristi verò 1000 annis: & per consequens regnum Antichristi mille annis superaret regnum Christi, imò excederet eos annos: quàmvis enim Novatores contendunt per suam Reformationem restitutum esse regnum Christi, regnum tamen Papæ, quod regnum Antichristi esse volunt, per eam non esset extinctum, sed exinde magis auctum, & dilatatum, ut vidimus cap. præced. Mira res & risu digna! Scriptura S. tyrannidi Antichristi non plùs tribuit, quàm ttes annos cum dimidio, ut constat ex computo temporum, mensum & dierum, quos illi assignant Daniel. cap. 12. v. 11. & Joan. in Apocal. c. 12. v. 14. sed isti Scripturarii & Biblistæ tribuunt ei plùs quàm mille annos, ergò mali Arithmetici sunt, & manifestè loquuntur contra Scripturam. Et nonne absurdum & Christo summè injuriosum est Antichristo plùs tribuere quàm Christo, & ejus regnum diuturnius facere, quàm illud, de quo dixit Angelus Luc. 1. v. 33. *Et regni ejus non erit finis.* Sequeretur etiam, omnes Ecclesiarum Præsules utcunque eximios & sanctos à mille annis & suprâ fuisse Antichristi Ministros; omnes religiosos Dei servos fuisse ejus prodromos, & emissarios; omnes Catholicos Principes ei militasse, & fuisse ipsius satellites; omnes denique Christi cultores ante Lutherum fuisse Antichristi mancipia & servos: quæ omnia tam absurda, & ab omni ratione aliena sunt, ut mirum sit, quod viri aliàs prudentes ex Adversariis has strophas & imposturas non advertant, & sibi tam turpiter illudi patientur.

No. 6. Quintum absurdum: sequeretur ex Adversariorum Reformatione & doctrinâ, omnes Majores tam nostros, quàm ipsorum adhæsisse

fuisse Antichristo, fuisse idololatrias, superstitionibus deditos, falsis dogmatibus corruptos, & consequenter damnatos, ac aternis ignibus addictos. Et ratio est: quia *sine fide impossibile est placere Deo*, teste Apostolo Hebr. 11. v. 6. omnes autem Majores nostri hanc fidem Deo placentem, & ad salutem necessariam non habuerunt: fides enim justificans & salvificans per Adversarios est illa, qua homo firmiter credit, se esse justum coram Deo propter Christi passionem & satisfactionem, quam credit sibi per hanc fidem applicari, & imputari: atqui Majores nostri hanc fidem specialem non habuerunt, sed eam ut fatuam, & stultam præsumptionem rejecerunt: ut patet ex omnium veterum scriptis, quibus hæc fides specialis vel omninò fuit incognita, vel ab iis ut hæretica explosa & rejecta; unde juxta admonitionem S. Pauli Apost. Philipp. 2. v. 12. Salutem suam cum metu & tremore sunt operati; quia ergò Majores nostri hac fide justificante & salvificante caruerunt, ob ejus defectum damnati sunt, & perierunt.

Item Scriptura S. à regno cœlorum excludit omnes idololatrias Apoc. 21. v. 8. & dicit: *Pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure*, quod idem aliis verbis repetitur Apocal. 22. v. 15. & alibi sæpè: atqui (ut calumniantur Adversarii) Majores nostri fuerunt idololatræ: adorârunt enim panem, ligna, & lapides, pro ut ea usque hodie nos adorare dicunt; ergò fuerunt à regno cœlorum exclusi, & in stagnum ardens igne & sulphure missi. Dum ergò nos idololatrias vocant, suos & nostros Progenitores damnant, à quibus Christum in venerabili Sacramento adorare, Sanctorum Reliquias ac Imagines colere didicimus. Vel ergò hic cultus idololatricus non est, vel Catholici omnes, quotquot nos præcesserunt, idololatræ fuerunt, & propterea perierunt. Quis autem in animum inducat, aut sibi persuaderi sinat, ut credat tot sanctissimos & sapientissimos viros, vitæ integritate, ac miraculorum gloriâ celebres, qui totis visceribus dilexerunt Christum Regem, qui ei usque in finem fideliter servierunt, qui ejus regnum & gloriam in omnes Gentes propagare studuerunt, pro ejus amore tot labores & persecutiones sustinuerunt, quinimò per acerbissima tormenta gloriosum pro eo sanguinem effuderunt, quis, inquam, hos omnes tam sanctos, tam inelytos viros periisse damnatos,

No. 7.

& in profundum abyssi detrusos esse credat? An damnatus S. Benedictus Monachorum in Occidente Patriarcha cum sanctis suis milibus? An S. Gregorius M.? An S. Bernardus Doctor mellifluus & Theodydactus? An S. Dominicus hæreticorum debellator invictissimus? An S. Franciscus vir Seraphicus, & sacris stigmatibus Jesu Christi Crucifixi Domini nostri insignitus? An damnatus S. Thomas Doctor Angelicus, an S. Antonius Patavinus Ecclesiæ Latinæ Thaumaturgus, & innumerabilium miraculorum Patrator magnificus? An tandem damnati sunt tot alii Sancti utriusque sexûs fideles, qui sicut stellæ cœli præ multitudine numerari non possunt? Attamen hoc admittere, & durum hunc bolum devorare coguntur Adversarii, si dogmata nostra Catholica de Ven. Sacramento, de primatu Papæ, de cultu & invocatione Sanctorum, de purgatorio &c. falsa & erronea esse tueri velint: hæc enim omnia præfati viri sancti crediderunt, & docuerunt, & nobis posteris suis fideliter firmiterque credenda tradiderunt; si verò ipsi in fide S. Romanæ Ecclesiæ non solum salvi, sed etiam sancti facti sunt, cur nos eorum discipuli & posterii in eadem beatè mori & salvi fieri non possimus.

No. 8.

Oh dicent eos salvatos propter ignorantiam, quæ erat in illis: iis enim temporibus, inquit, tenebræ erant tam crassæ, ut lux veritatis eis lucere non posset. Respondeo hanc responsum esse frivolam & frigidam: nam hæc excusatio locum habere non potest apud præfatos viros, erant enim sapientissimi, & doctissimi; si ergò esset aliquis error in Ecclesiæ Romanæ dogmatibus, cum utique deprehendissent, deprehensumque in lucem produxissent, prout deprehendit, & in lucem protraxit errorem Abailardi, Arnoldi de Brixia, Petri de Bruiis S. Bernardus, Tanchellini S. Norbertus, Albigensum S. Dominicus: Non ergò ignorantia ipsorum imputari potest, quasi errores nobis ab Adversariis imputatos nescierint, cum in aliis indagandis tam acuti & perspicaces fuerint. Quàmvis autem in aliis materiis apud simplices & idiotas fortassis ignorantia locum habere potuerit, non tamen in idololatria, quæ ab Apostolo vocatur inexcusabilis Rom. I. v. 20. quod liquet etiam ex eo, quòd Ethnici idololatræ omnes, quàmvis in densissimis versarentur ignorantia

tia tenebris, iis tamen non obstantibus damnati fuerint. Non poterat ergò hæc ignorantia impedire, quin Majores nostri Catholici damnarentur, si veri idololatræ fuissent.

Sextum absurdum, quod ex prætensa Reformatione sequitur, est, quòd hoc modo ostium fidei fuisset occlusum Gentibus, quæ iis temporibus non poterant scire, ubi quærenda, & invenienda esset vera & salvifica Christi Ecclesia. Ecclesia Romana erat quidem supra montem posita, & omnibus manifesta; sed per Adversarios apostatica & Antichristiana; unde ex mente ipsorum in ea vera fides & salus inveniri non poterat. Ecclesia autem illa, quam fingunt ex reliquiis primitivæ Ecclesiæ fuisse residuam, erat occulta, & soli Deo cognita, quippe quæ constabat ex electis & prædestinatis soli Deo notis: quantum verò exteriùs apparebat, conflata erat ex plebe rusticana, hominibus nempe rudibus, idiotis, & illiteratis, quorum plurimi nec Biblia quidem habebant, vel si fortè aliqua habuerunt, erant nostra vulgata, quæ per Adversarios non sunt authentica, sed depravata & corrupta. Carebant ergò illi homines verò & sincero verbo Dei, sine quo juxta Reformatos vera Dei Ecclesia consistere non potest. Erat insuper Ecclesia illa acephala sine rege sine lege, sine duce sine luce, sine Ministris legitimè missis, sine publica & intrepida prædicatione Verbi Dei, sine Templis, sine externo Dei cultu, aut publico Religionis exercitio, ignobilis, vilis, & obscura: Si ergò aliquis ex infidelibus Ethnicis aut Turcis ad Christum voluisset converti, quòd hic iis temporibus iturus erat, ut in vera fide, & via salutis rectè instrueretur? Non ad Ecclesiam Romanam: ea enim per Adversarios erat idololatrica & Antichristiana, quæ eos non convertisset, sed magis pervertisset; nec ad illam Ecclesiam occultam & residuam: ea enim erat invisibilis & ignota, nec sciebatur, quòd eundem esset ad eam investigandam, & inveniendam. Fuissent ergò infideles illorum temporum nimis infelices, ac deplorata erat eorum salus, cum viam salutis & veram fidem, utcunque eam quærerent, invenire non possent; ex quo sequeretur adhuc Clementissi-

num Deum non ferò voluisse omnes homines salvos fieri , & ad agnitionem veritatis venire , cùm hoc modo eis de necessariis mediis ad salutem non satis prospexisset , quod est impium & absurdum , ac contra Apostolum 1. ad Timoth. 2. v. 4.

**No. 10.** Septimum absurdum , quod sequeretur , est : Britanniam , Germaniam , Poloniam , Daniam , Sueciam , & alias regiones Aquilonares usque ad tempus Reformationis inchoatæ à Luthero nunquam fuisse verè ad Christum conversas , & inhabitatores earundem regionum usque ad id tempus nunquam fuisse veros Christianos , cùm fidem Christi edocti fuerint à Ministris Antichristi , nempe ab iis Missionariis Apostolicis , quos Pontifices Romani miserunt ad prædicandum iis Gentibus Evangelium ; quales fuerunt SS. Bonifacius , Vedastus , Wilibaldus , Kilianus , Rupertus , Anscharius , Adelbertus , & alii diversarum Ecclesiarum primi Episcopi , qui populis illis non aliam fidem prædicaverunt , quàm eam , ad quam prædicandam à Romano Pontifice missi sunt : missi sunt autem ad prædicandam fidem Catholicam secundùm doctrinam S. Romanæ Ecclesiæ ; ergò illam fidem , & non aliam populis illis prædicaverunt . Conformârunt etiam se Ecclesiæ Romanæ non solùm in dogmatibus , sed etiam in divinis officiis & ritibus : Missas celebrârunt ritu Romano , eodem ritu divina officia persolverunt , eodem fidelibus Sacramenta ministrârunt , Sanctos coluerunt , pro defunctis orârunt , & omnia alia egerunt , prout ea in Ecclesia Romana usque nunc peragi solent . Quòd si hæc omnia idololatrica , & Antichristiana sunt , ergò per prædictos Apostolicos viros iis Gentibus non annuntiatus est Christus , sed Antichristus ; non seminârunt in iis regionibus triticum , sed zizania : non eos populos converterunt , sed perverterunt , & ab una idololatria traduxerunt in aliam : quod quàm absurdum , irrationabile , & universæ Reipublicæ Christianæ ignominiosum sit , quilibet mentis compos arbitrari facillè poterit .

**No. 11.** Octavum absurdum est : quòd hoc modo Spiritus S. non satis diligenter functus esset officio suo . Officium Spiritûs S. ut constat ex Evangelio Jo. 16, v. 13. est , Ecclesiam docere omnem

omnem veritatem: atqui non docuisset Ecclesiam omnem veritatem, si permisisset eam labi in gravissimos errores, & plus mille annis ab Antichristo seduci. Si Ecclesia tamdiu & tam graviter errasset, mittendi statim fuissent viri Thaumaturgi, zelosi, & Apostolico spiritu pleni, qui fideles miserè seductos docerent Missam esse idolomaniam, Papam verò Antichristum, Ecclesiam autem Romanam meretricem Babylonicam, statuas & imagines Sanctorum mera esse idola; item mittendi erant, qui homines abductos à via arcta per viam planam & latam postcà Lutherò revelatam ducerent in cœlum: hoc autem non est factum; dicendum ergò foret Spiritum S. non sufficienter officio suo esse functum; quod dicere non solùm esset absurdum, sed impium & blasphemum.

Plura alia absurda possent afferri, quæ sequuntur ex hac Reformatione Deformi; ut quòd cã stante abroganda esset fides omnibus priscis Ecclesiæ Patribus, omnibus historiis Ecclesiasticis, omnibus antiquis monumentis & documentis, ipsis denique divinis Scripturis, quæ fidei nostræ Orthodoxæ luculentum passim perhibent testimonium. Quoniam verò hæc allata abundè sufficiunt, non opus est pluribus; quare ex iis omnibus infero, & repeto sequens argumentum. Ea doctrina non est vera, ex qua plura sequuntur absurda: atqui (ut ostensum est modo) ex doctrina Acatholica, & Reformatione ab ea dependente sequuntur plura, imò plurima absurda; ergò &c.

Placet adjungere, & repetere pauca aliquot argumenta contra præsumptam Reformationem diversis in locis hujus operis adducta: Primum est, veram Ecclesiam oportet esse visibilem, ut ostensum est i. p. c. 3. 15. & seqq. hæc Ecclesia visibilis, ut potè directà à Spiritu S. est infallibilis, id est, non potest à fide deficere, aut in doctrinis dogmaticis errare, & consequenter in fide non potest indigere aliqua reformatione, ut demonstratum i. p. c. 4. toto. Quibus probatis & suppositis formo hoc argumentum. Ecclesia Reformata non est vera Christi Ecclesia: Ecclesia Adversariorum est Reformata; ergò non est vera; Ecclesia enim vera, ut probatum est toto hoc opere, in fide deficere non potest;

- potest; ergò nec reformari: Ecclesia Protestantium, ut ipsimet fateatur, est Reformata; ergò non est vera Christi Ecclesia.
- No. 14. Secundo ex confessione Adversariorum Ecclesia vera potest à fide deficere, & errare, prout contigisse dicunt Ecclesiæ Romanæ, quæ licet aliquando fuerit Orthodoxa & vera, ex mente tamen ipsorum sensim & successivè à vera fide defecit: Ecclesia autem Reformata, ut ajunt, est vera; ergò etiam ipsa à fide deficere potest sicut Romana, licet quondam fuerit Orthodoxa & vera; ergò Ecclesia ipsorum non habet eam indubiam & infalibilem certitudinem, quam fides divina & salus æterna requirit. Breviùs hoc argumentum proponi sic potest: Ecclesia vera potest errare, & à fide deficere; Ecclesia Reformata, ut dicunt, est vera; ergò potest errare, & à fide deficere. Quis igitur scit, an non actu insensibiliter defecerit, & ei contigerit, quòd Ecclesiæ Romanæ, quam dicunt successivè & insensibiliter à vera fide defecisse? Dicunt Ecclesiam non posse errare, quamdiu se tenet ad verum, & sincerum verbum Dei: sed hoc ipsum est vel maximè dubium: ex tot enim diversis & contrariissimis sectis omnes hoc dicunt, nempe quòd se firmiter teneant ad purum verbum Dei: hoc dicunt Lutherani, Calvinistæ, Anabaptistæ, Trinitarii, & cæteri omnes; omnes autem verum dicere, sive ad verum Dei verbum se firmiter tenere, est impossibile, cum sint inter se contrarii & divisi; dubium est ergò, quibus ex his sit credendum; cum autem in hoc puncto situm sit totum religionis ipsorum fundamentum, & hoc ipsum incertum sit, nempe an uniuscujusque Ecclesia ad verbum Dei se verè teneat, nec ne? dubia & incerta erunt omnia ipsorum dogmata; ex incerto autem
- No. 15. & dubio vera conscientia quies & consolatio oriri non potest. Tertiò Adversarii de sua fide & religione non sunt certi, si non sint certi de fundamento, cui ea fides & religio innititur, sed de hoc non sunt certi, quod probatur. Fundamentum, cui ipsorum religio innititur, uti dicunt est verbum Dei in S. litteris scriptum: sed non sunt certi de hoc verbo Dei, id est, non sunt certi, an habeant scripturam veram, sinceram, & incorruptam; ergò certi non sunt de fundamento suæ religionis, id est, de verbo Dei scripto, super quo vo-
- sunt

lunt, Ecclesiam suam esse ædificatam. Et quidem primò non certi de ipso corpore Scripturæ, sive volumine bibliorum, quod probatur. Non sunt certi de sinceritate, & integritate bibliorum, si ea non aliunde acceperunt, quàm à corruptoribus & falsariis: sed ea non aliunde acceperunt, quàm à nobis Catholicis, quos dicunt esse falsarios, biblia corrupisse, & depravasse; ergò non sunt certi, quòd biblia sua sint incorrupta & vera. Deinde Scriptura S. spectari potest dupliciter, sive secundùm litteram, sive secundùm sensum; si accipiatur secundùm litteram, de ea non sunt certi ex causa mox dicta; & inde etiam, quòd eam non aliunde habeant, quàm ex traditione (nec enim aliunde eam habere potuerunt) traditio autem per ipsos est incerta & fallax; ergò tota ipsorum Scriptura, cum innitatur traditioni, innititur principio incerto & fallaci. Multò minùs certi sunt de vero ac legitimo sensu Scripturæ, qui est ejus quasi spiritus & vita: unde enim eum acceperunt? Non ab ipsa Scriptura: cum in textibus dubiis Scriptura se melius explicare non possit, ac statim ab initio fecit: nec ab universali Ecclesia, cui Christus Dominus promisit indefinentem Spiritus S. assistentiam: hanc enim contemnunt; sed hauriunt, & accipiunt hunc sensum ab expositionibus & glossis suorum Doctorum & Ministrorum, quæ non solùm sunt incertæ, sed ut plurimum falsæ: vel eum accipiunt à spiritu privato, sive à privato suo judicio, quod est omnium fallacissimum; ergò non habent id, quod est in omni religione primum & præcipuum, nempe legitimum, certum, ac indubitatum Scripturæ sensum, sine quo tota biblia etiam centies & milles lecta magis nocebunt, quàm proderunt. Undequaque ergò spectetur hoc Reformatæ religionis fundamentum sive secundùm litteram, sive secundùm sensum, undique vacillat, & nutat; ergò vacillat, & nutat totum ædificium, quodei est superædificatum.

Quartò Ecclesia vera per Adversarios constat ex solis electis & prædestinatis: atqui nemo Adversariorum scire potest, in qua am Ecclesia ex Reformatione hi prædestinati sint collecti: omnes enim sive Lutherani, sive Calviniani, sive alii quocun-

que nomine appellentur, credunt se esse electos & prædestinatos; ergò scire nemo potest, an sit in vera Christi Ecclesia, nec ne, vel ad quam accedere debeat, ut salvus fiat; cum nesciat, an electi vel reprobis sint illi, inter quos versatur, vel alii, qui inter electos & prædestinatos numerant etiam se ipsos; semper ergò talis aliquis dubius & anxius hærerere debebit, & timere, ne fortè non sit in Ecclesia illa prædestinatorum & electorum, quæ per Adversarios sola est vera, tam occulta tamen, ut quænam illa sit, certò sciri non possit. Intertus ergò, an sit in Ecclesia vera, an scilicet inter prædestinatos, vel ex prædestinatis sit, de sua spe & salute securus esse quomodo poterit.

No. 17.

Quintò quæro, Ecclesia Reformata éstne nova vel antiqua? si nova; ergò eo ipso est falsa, vel saltem de falsitate suspecta: vera enim Ecclesia tam antiqua esse debet, ac Christus & ejus Apostoli, à quibus est fundata. Si antiqua: ergò à primis illis temporibus propagari, & continuari debuit usque ad tempora Lutheri; at non est continuata, sed per mille annos interrupta; ergò non est antiqua, nec illa Ecclesia, quæ fuit tempore Christi & Apostolorum. Deinde si fuit antiqua, exstitisse jam debuit ante adventum Lutheri: unde valde exosa, & molesta Adversariis est hæc quæstio, quando quæritur, ubi Ecclesia Reformata fuerit ante Reformationem? quam proinde vocant stultam, captiosam, & sophisticam. Sed hæc quæstio nequaquam est stulta, sed valde rationabilis, & scitu dignissima: cum enim extra veram Ecclesiam non sit salus, ab homine volente salvari valde rationabiliter quæritur, ubinam ergò sit illa vera & salvifica Christi Ecclesia, in qua possit salvari? atqui per Adversarios Ecclesia Reformata est vera & salvifica Ecclesia; ergò valde rationabiliter quæritur, ubinam sit, vel fuerit hæc Ecclesia Reformata ante Reformationem? cum enim omni tempore oporteat homines salvos fieri; extra veram Ecclesiam autem non sit salus, omni tempore vera Ecclesia debet posse ostendi: quoniam verò Adversarii Ecclesiam suam Reformatam ante tempus Reformationis, & aliis retrò sæculis ostendere non

non possunt, hinc horrent istam quæstionem, tergiversantur, & dicunt, eam responso dignam non esse: timent enim hanc illationem. Ecclesia vera talis esse debet, ut semper fuerit, & semper ostendi potuerit; sed Ecclesia ipsorum Reformata nec semper fuit nec semper ostendi potuit; ergò non est vera. Econtra nos Catholici de vera Ecclesia interpellati promptè respondemus, & ostendimus Ecclesiam Romanam: hæc enim sola semper fuit, & semper ostendi potuit; ergò ea sola est vera, & non alia.

Fuerunt quidem non longè ante tempora Lutheri plures Sectarii, ut Albigenes, Wicleffistæ, Hussitæ, & alii: sed non fuerunt Lutherani, Zwingliani, vel Calvinistæ, aut alii ex Reformatis: quàmvis enim in quibusdam articulis cum iis convenerint, in pluribus tamen dissenserunt, ut collatis inter se eorundem doctrinis clarè ostendit Jodocus Coccius Tom. 1. l. 8. c. 4. ergò non tenuerunt totum corpus sive totum complexum doctrinæ Lutheranæ vel Calvinisticæ, & consequenter Lutherani aut Calvinistæ, aut alii ex Reformatis nec secundùm nomen nec secundùm rem ipsam existerunt. Si consensus in uno vel altero articulo redderet aliquem ejusdem religionis cum alio, Mahumerani essent Christiani, cùm credant in unum Deum Patrem Omnipotentem sicut & hi: & Ariani essent Catholici, cùm credant Christum Filium Dei pro nobis passum & mortuum sicut & nos: imò Lutherani essent Romani & Papistæ, cùm nobiscum in pluribus articulis conveniant, præsertim de SS. Trinitate & Incarnatione. Ut ergò aliquis Lutheranus vel Calvinianus dici possit, non sufficit, ut in uno vel altero articulo cum iis consentiat, sed necesse est, ut teneat totum corpus sive complexum ipso um doctrinæ, quod Wicleffistæ & Hussitæ non tenuerunt, & consequenter sectæ vel religionis Reformatæ non fuerunt. Facessat ergò novitas, & prævaleat antiquitas.

No. 18.

Sextò Joan. 21. v. 17. Christus Dominus commisit Petro oves suas pascendas dicens: *Pasce oves meas*; ergò oves Christi sunt oves Petri, & è converso oves Petri sunt oves Christi;

No. 19.

Gg 2

Ad

Adversarii non sunt oves Petri ; ergò non sunt oves Christi. Non sunt oves Petri , quia nolunt esse : nolunt esse in ovili Petri, quod est Ecclesia Romana; nolunt à Petro vel Successore ejus regi: nolunt eum agnoscere pro supremo ovilis Pastore, sed ejus ovile hostiliter invadunt, & ejus oves vexant, & dilacerant. Quia ergò non sunt, nec esse volunt oves Petri, nec etiam sunt oves Christi. In die ergò judicii non stabunt inter oves Christi à dextris.

No. 20. Denique ea religio non est vera, quæ in suis doctrinis est inconstans & varia.

*Dissipat, edificat, mutat quadrata rotundis*

Quæ antiquos damnatos errores resuscitat, per conscientie libertatem, & salutis securitatem sanctum Dei timorem tollit, fructus dignos poenitentiae, sive opera poenitentialia prorsus eliminat, studium bonorum operum negligit, vel extinguit, viam arctam ad coelum planissimam atque latissimam facit &c. atqui hæc omnia facit, & præstat nova Religio Reformata; ergò non est ea vera & Evangelica Religio, quam Christus instituit, & quam se gloriantur habere, cum directè contra S. Evangelium pugnet, & non in uno tantum vel altero puncto, sed in pluribus illud corrumpat, & destruat: quod de singulis in decursu hujus operis probatum est, nec necesse est ea denuò repetere & commemorare. Vocentur ergò Evangelici quantumcunque velint, & de novo ac specioso hoc nomine in immensum glorientur, si doctrinam S. Evangelii non teneant, ejusque præcepta non servent, nomen absque re nihil eis prodesse poterit: sicut nihil profuit Donatistis, quòd se ipsos vocaverint Apostolicos, & Novatianis, quòd se dicerent mundos, aut Gnosticis, quòd se scientes & illuminatos dixerint, cum re ipsa tales non fuerint, & plura his nominibus indigna gesserint: veritas enim non nominalis sed realis est, nec quid quis vocetur, sed quid quis sit, attendit.

No. 21. Finio hoc caput & totum hoc opus testimoniis duorum Illustrium & præcipuorum Ecclesie Doctorum Hieronymi, & Augustini, quorum prior Dial. cont. Lucif. c. 9, ait: *in illa Eccle-*

*ſua permanendum eſt, qua ab Apoſtoliſ fundata uſque in hanc diem durat. Sicubi audietis eos, qui dicuntur Chriſti, non à Domino Jeſu Chriſto, ſed ab alio quoſiam nominari, utpotè Marcionitas, Valentinianos (dicamus nos Lutheranos, Zwinglianos Calvinianos &c.) ſcironon eſſe Chriſti Eccleſiam, ſed Antichriſti Syuagogam. S. verò Auguſtinus lib. de utilit. credendi ſic haſet. Cum igitur tantum auxilium Dei, tantum fructum profectumque videamus, dubitabimus noſ ejus Eccleſie condere gremio, qua fruſtrà circumlatrantibus hæreticis à ſede Apoſtolica culmen auctoritatis obrinuit? cui nolle primas dare vel ſumma profectio impietatis eſt, vel præcipitis arrogantie. Addamus & tertium, ut in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum: & hic eſt S. Petrus Chryſologus Epiſcopus Ravennatenſis, qui in Epiſtola ad Eutychem, quæ habetur in Prologomenis Conc. Chalced. ſic ait: Hortamur te frater honorabilis, ut his, quæ à Beatiffimo Papa Romano Civitatis ſcripta ſunt, obedienter attendas; quia B. Petrus, qui in propria ſede vivit, & præſidet, præſtat quærentibus fidei veritatem.*

Non exiſtimo quidem Adverſarios hunc librum, ſi fortè in manus eorum devenerit, dignum arbitratos, quem legant, & evolvant, aut cui reſellendo tempus aliquod aut laborem impendant propter mediocritatem tam auctoris, quàm operis: quòd, ſi præter opinionem eis placuerit ipſum delibare, vel obiter reſutare, ſcio, quo id faciant modo, nempe conſucto, per irriſiones, fannas, convitia, vituperia, detorſiones, falſas mendaciorum imputationes, & hujusmodi nugacitates: quod non eſt ingenuum, nec magna opus eſt arte aut ingenio, hoc modo librum aliquem controverſiticum conſutare, aut impugnare; nam non ſolùm grammaticales leguleii, ſed etiam rudiores plebei ſciunt aliquem irridere, convitiis agere, eos, quibuſcum litigant, mendaces appellare &c. Unde libelli apologetici ab Adverſariis contra noſ editi, & multis ſcommatibus ac ſatyricis jociſ reſerti, non ab aliis magis applauduntur, quàm ab hominibus plebeiis & trivialibus, qui hiſ facetiis, vel potiùs ſcurrilitatibus plurimùm gaudent; cum tamen viris ſeſerioribus & prudenti-

No. 22.

tioribus etiam ex Reformatis non probentur. Quod autem ingenuum & gravem Theologum decet, hoc est: ad argumenta opposita respondere, auctoritates, vel rationes allatas contrariis elidere, non extra rhombum aut formam saltare, aut sibilis & cachinnis omnia velle conficere, sed manere in forma, & diverticula aut effugia saltando extra thesim non quærere &c. Hoc, hoc est opus veri & docti Theologi, non autem illud prius. Quoniam verò Doctores Religionis adversæ sæpè nostris argumentis & auctoritatibus arctati respondere diffidunt, desultant, & ad alia disparata, quæ ad propositum non serviunt, divertunt, vel clamoribus, convitiis, & impropriis nos opprimere satagunt, ut vel sic vicissè videantur. Imitantur nempe causidicos, & alios fori rabulas, qui, cum eos rationes destituunt, vel iis victi succumbunt, clamores tollunt, imprecationes & maledicta ingeminant, convitiis agunt &c. quod apud prudentes solet esse manifestum vitæ causæ argumentum.

### Conclusio totius operis cum paranæsi.

No. 1.

**C**UM attentata ab Adversariis Reformatio ( ut prolixè toto hoc opere demonstratum est ) rectis Christianæ fidei regulis adversa & Difformis sit, ac propterea Deformis, sequitur eam perperam & supervacue esse institutam; & cum perperam & illegitimè facta sit, sequitur etiam Difformem & illegitimam esse Ecclesiam Reformatam, quæ ex Deformi hac, & illegitima Reformatione consurgit: nec enim Ecclesia Reformatam melior esse potest sua Reformatione, sicut corpus melius esse non potest suâ animâ, qua informatur; meliori ergò jure & majori cum laude potuissent novi hi Reformatores Difformem & Deformem hanc Reformationem omittere, quàm propter rem tam inutilem & perniciosam tot turbas excitare, & propterea non solum totam Ecclesiam, sed totum penè orbem perturbare.

No. 2.

Ecclesia Reformatam non videtur absimilis navi conquassatæ & laceræ, quæ resecta & resarcita est ex asseribus cariosis,  
id

id est, ex putridis priscorum Sectariorum erroribus, in qua nemo tutò navigare, aut ad salutis portum pervenire poterit. Ecclesia autem Catholica est quasi navis firma & solida, quæ licet sævissimis persecutionum fluctibus & procellis jactata & agitata sit, nunquam tamen eversa est, aut merfa, servante eam Domino, & potentissimâ suâ gratiâ adversus portas inferi eam protegente; unde nulli, qui hanc navim inscenderunt, defectu navis, sive ex culpa & defectu fidei sunt submersi. Navigaverunt in hac navi justii & pii Majores nostri, qui nos fide & opere præcesserunt, & salvi facti sunt. In hac navigaverunt omnes sancti primitivæ Ecclesiæ Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, & Viduæ, qui passionibus ac martyriis suis glorificaverunt Deum, & salvi facti sunt. In hac navigaverunt recentiores Sancti Benedictus, Bernardus, Norbertus, Dominicus, Franciscus, Ignatius cum multis SS. Discipulorum suorum millibus; in ea laborantes, & remigantes hujus sæculi magnum & procellosum mare feliciter transierunt, & salvi facti sunt. In hac denique navi navigaverunt omnes Sancti & Sanctæ Dei, qui in hoc exilio & mari procelloso militantes & laborantes ad cœlestis patriæ portum feliciter pervenire meruerunt. Et dubitabimus adhuc tam firmam inscendere navem? aut timebimus mergi in ea navi, quæ ab ipso Christo Domino tanquam altero Noë ædificata, & tot procellis ac tempestatibus probata per promissionem & gratiam ipsius semper evasit illæsa?

Si in vasto aliquo portu plures quidem adessent naves, sed omnes cariosæ, laceræ, quassatæ, vel tales, de quarum firmitate meritò dubitari posset; esset autem inter eas unica firma, probata, omnibus ad iter necessariis probè instructa, ventis ac fluctibus invicta; nonne unusquisque dimissis aliis hanc unicam intrare contenderet? aut quis tam fatuus & insipiens foret, qui se tanto periculo exponere, & vitam ac salutem suam laceris his navibus committere vellet? sunt quidem in hujus mundi mare magno multæ & magnæ naves, id est, potentes & diversæ religiones: quilibet Navarcha itinerantibus offert navem suam: sic Arianis suam navim obtulit Arius, Macedonianis Macedonius, Pel-

No. 3.

Pela-

Pelagianis Pelagius, Mahumetanis Mahumetes, & sic de cæteris loquendo Novarchis & Hæresiarchis: & usque nunc ad Jerusalem cœlestem proficisci volentibus navem, id est, doctrinam suam offert Lutherus, suam Zvvinglius, suam Calvinus, similiter & alii, ac profecturis spondent, & ajunt: nostram navim conscendite: tuta est, segura est, recta ad portum salutis & ad cœlestem patriam ducit. Sed nolite credere, nolite intrare; non sunt firmæ, non sunt integræ, sed laceræ, & resarcitæ sunt omnes; Petrum Navarcham non habent, signum salutiferæ Crucis non præferunt, aura Spiritûs S. eis non aspirat. In illam potius navem ascendite, in quam Luc. 5. v. 3. ipsemet ascendit Christus, qui utpotè sapientissimus rerum arbiter constitutionem cujuslibet navis plenissimè novit, qui ascendit *in unam navim*, inquit Evangelista, *quæ erat Simonis*: circa quam symbolicam historiam præcipuè observanda sunt duo.

No. 4.

Primum est, quòd Evangelista dicat, Christum Dominum ascendisse in unam navim: alterum quòd una illa navis fuerit Simonis Petri. Navis ergò, quam ascendit Christus, est navis Petri; navis autem Petri est Ecclesia Romana, teste S. Ambrosio serm. 11. ubi ait: *Hanc solam navim ascendit Dominus, in qua Petrus Magister est constitutus*: Petrus autem constitutus est magister & rector Ecclesiæ Romanæ, quam ipse fundavit, & sanguine suo consecravit, ut asserit idem Ambrosius lib. 3. de Sacram. cap. 1. *Petrus Apostolus*, (inquit) *Sacerdos fuit Ecclesiæ Romanæ*; unde passim ab antiquis Patribus tam Græcis, quàm Latinis Ecclesia Romana Sedes Apostolica, & Cathedra Petri nuncupatur. In hanc igitur navem Petri, quæ est Ecclesia Romana, ascendit Christus, in hac sedens docet turbas, in hac jubet Petrum ducere in altum, in hac ei præcipit laxare retia in capturam, in hac Petrus conclusit piscium multitudinem copiosam &c. quæ omnia symbolicè figurabant Petri magisterium & Ecclesiæ Romanæ principatum. Cùm igitur ipse Christus Dominus ascenderit in navim Simonis Petri, Ecclesiam scilicet Romanam: quis dubitet præeunte tanto duce eam ascendere? aut quis sub tanto Governatore & Rectore timeat mergi, & perire?

nisi

nisi benè credendo, & malè vivendo ipse sibi fuerit causa perditionis & ruinæ.

Alterum hîc observandum est: quòd hæc navis Petri erat **No. 1.** tantùm una; ascendit, ait S. Lucas, *in unam navim*. Nec poterat esse nisi una, cùm veritas non nisi una & indivisa sit. *Vna fides, unum baptisma, unus Deus & Pater omnium, qui est super omnes & per omnia.* Ephes. 4. v. 5. Sicut ergò non est nisi una navis Petri, non nisi una fides &c. sic non est nisi una & salvifica Christi Ecclesia, extra quam, sicut extra arcam Noë, salvus esse nemo poterit. *Ego*, inquit S. Hieronymus Epist. ad Damasum, *Beatitudini tue*, id est Cathedræ Petri, *communione confocior, super illam petram edificatam Ecclesiam scio; quicumque extra hanc domum agnum comederit, prophanus est. Si quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluvio* S. quoque Cyprianus M. Epist. 40. ait: *Deus unus est, & Christus unus, & una Ecclesia, & Cathedra una super Petrum Domini voce fundata. Aliud Altare constitui, aut Sacerdotium novum fieri, præter unam Altare & unum Sacerdotium non potest.* Cùm ergò sit una tantùm vera & salvificans Ecclesia, & ea sit navis Petri sive Ecclesia Romana, ut ostensum est: quicumque salvus esse cupit, ad hanc navim properet, & fidem Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, extra quam non est salus, amplecti festinet; ne fortè serò veniat, & navim intrare velit, cùm jam solvit à portu, id est, cùm viator jam excessit è vita, quâ finitâ in navim nemo ampliùs admittitur, cùm navis Petri non sit navis mortuorum sed vivorum.

Quæ sunt unica, maximè si sint necessaria & prætiosa, magnæ æstimantur, & ingenti curâ servantur. Sic Pater unicum filium multùm diligit, & magnâ ipsum sollicitudine educat, & curat: sic annulus aureus nuptialis, quia unicus est, multâ diligentiam custoditur, & servatur; Sic unicus pyropus sive topazius pluris æstimatur, quàm multæ alterius generis gemmæ, sic unica lampas ardens diligentius custoditur, quàm si plures ardeant, & sic loquendo de aliis. Cùm ergò vera & salvifica fides non sit nisi una, ingenti utique curâ servanda est, ne amittatur, nec minori

studio agendum, ut amissa recuperetur. Quàm chara ergò est cuius propria salus, tam ei cordi esse debet vera & Catholica fides : & quantum studium ponit pro assequenda æterna sua salute, tantum nec minus ponere debet pro acquirenda, vel conservanda recta fide, sine qua vera & æterna salus obtineri non potest. *Nulla* ( ait S. Augustinus Serm. 1. de verbis Apostoli. ) *maiores sunt divitiæ, nulli thesauri, nulli honores, nulla major huius mundi substantia, quàm fides catholica*; hætenus S. Augustinus, Ubi agitur de fide Catholica, omnia præ ea sunt contemnenda, omnes impendendæ vires, omnes expendendæ facultates, vita ipsa cum sanguine profundenda, ut ea salva consistat, ac incorrupta & illæsa servetur. *Prudentia serpentis* ( ait S. Jo. Chrysostomus hom. 33. in Matth. ) *in eo consistit, quòd pro capite servando totum corpus exponat: sic & tu, inquit, præter fidem, quæ caput & radix est, cætera perdere non cures; profundas omnem pecuniam, tradas corpus, vita ipsi non parcas, dummodo fidem serves.* Hæc Chrysost. Quando agitur de fide vera & Orthodoxa, non agitur de paleis aut nucibus, aut de alia re vili & parvi momenti, sed de re omnium gravissima, ex qua pendet uniuscujusque hominis salus æterna: in qua stare salus est, à qua excidere, perire est; semel autem periisse irreparabile & æternum est. Vel ergò rectè credendum, & piè vivendum, aut ardens: hîc non est medium. *Vnum de duobus* ( inquit S. Augustinus Tract. 81. in Joan. ) *palmiti congruit, aut vitis, aut ignis: si in vite non est, in igne erit; ut ergò in igne non sit, in vite sit: in vite autem, id est, in Christo erit, si ei tanquam palme incorporetur per fidem veram, & charitatem non fictam. Fides facit, ut Christus in eo plantetur, & radicetur: Charitas facit, ut germinet, & dignos fidei fructus præferat in vitam æternam.*

No. 7.

Consideret ergò unusquisque seipsum, & examinet cor suum, an in vite, id est, in Christo sit modo jam dicto, & interdum se ipsum interroget, quò vadis? estne via ista, qua vadis, via arcta, quæ ducit ad cælum, an via lata, quæ ducit ad perditionem? an via mandatorum Dei, an verò via peccatorum, & via iniquitatis? an illa via, per quam ambulaverunt Catholici & pii Majores nostri,

nostri & Sancti omnes, an verò illa, quam triverunt peccatores impii, qui ambulant vias non bonas, sed post peccata sua? & si conscientia in corde suo sibi respondeat: *Hæc via, qua vadis, via pessima plenâque cladis*: Hæc est via illa, qua homo descendit ab Jerusalem in Jericho, & incidit in latrones: via, quæ non ducit ad eam, quæ sursum est Jerusalem cœlestem, sed quæ ducit in Ægyptum, in tenebras exteriores, ad Pharaõnem infernalem. Quòd, si per lumen divinæ gratiæ cognoverit, se à via veritatis aberrasse, pedem citò retrahat, ultrà errare non pergat, ad eam velociter redeat; ne si errare perrexerit, incidat in foveam perditionis, è qua ultrà emergere non possit.

Deponat etiam quilibet adversæ partis ea præjudicia & malas impressiones, quibus à Magistris suis præoccupatus, & ab adolescentia sua imbutus fuit, nempe Papam esse Antichristum, Ecclesiam Romanam apostaticam, Catholicos omnes idololâtras, & superstitionibus deditos, Antichristi ministros & servos. His omnibus ne credat, sed firmiter sibi persuadeat, hæc omnia esse pura putida mendacia, illusiones, deceptiones, & scurrilia scommata in odium Papæ & Romanæ Ecclesiæ conficta. Non enim Papa est Antichristus, sed Christi fidelis cultor & servus: Ecclesia verò Romana Apostolico est ore laudata, cujus fides annuntiatur in universo mundo: Catholici etiam non sunt tam hebetes & stupidi, ut adorent ligna & lapides, sed in statuis & imaginibus Christum & Sanctos ejus honorant. Discutiat ergò has nebulas erroris, quicunque sibi lucere cupit lumen veritatis. Caveat etiam quilibet, ne seipsum decipiat imaginando sibi, quòd fide suâ speciali possit salvari. *Fides enim* (teste S. Jacobo Apostolo cap. 2. v. 20.) *sine operibus mortua est*. Manifesta est etiam sententia aternæ veritatis Joan 5. v. 29. ubi dicitur: *Et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui verò mala egerunt, in resurrectionem judicii*: Quod ipsum aliis verbis exprimitur in symbolo Catholico S. Athanasii, ubi in fine sic habetur: *Et qui bona egerunt, ibunt in vitam aeternam, qui verò mala in ignem aeternum*. Et subdit:

*Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.*

No. 8.

Dum ergò, qui errat, adhuc in sæculo est, dum error emendari potest, dum adhuc veniæ locus est, se ipsum non negligat, salutis suæ invigilet, super errore suo pœniteat, ne serò pœnitere debeat, & oculos, quos culpa & infidelitas clauserat, pœna & cruciatus ignis æterni aperiat: dignum est enim, ut æternùm & frustra pœniteat, qui in die salutis, qua pœnitere potuit, videre & pœnitere noluit. Illi autem, qui per gratiam Dei in navi & ovili Petri sunt, & rectam salutis semitam invenerunt, habent, quòd gaudeant, & Deo gratias agant pro inenarrabili dono ejus; quod porrò magni æstimare, bonis vitæ actibus ornare & augere, & usque in finem fideliter firmiterque conservare studeant. Pro iis autem, qui foris sunt, & in tenebris ambulant, cum Ecclesia sancta Catholica oremus Deum Patrem Omnipotentem, ut eis veritatis suæ lumen ostendat, & erutos ab erroribus universis ad S. Matrem Ecclesiam Catholicam atque Apostolicam revocare dignetur, per Dominum nostrum Jesum Christum Filium suum, cui cum eodem Deo Patre, & Spiritu Sancto in una Divinitatis essentia sit sempiterna Laus, honor, virtus, & gloria per infinita sæculorum sæcula,  
Amen.

